

*Sed neq³ fulvus aper mediâ tam saevus in irâ est,
Fulmineo rapidos dum rotat ore canes.*

Fœmina quàm. ———

*Ovid. lib. 2. de art. amand. Plura trado in decad. cons. resp. 1. num. 15. Hinc quoque
Virgil. lib. 2. Æneidos canit :*

Notum quod furens, quid fœmina possit.

De Hipsicratea uxore Mithridatis, quæ tonsis capillis equo se, & armis assuefecit, *Val. Maxim. lib. 4. tit. de amor. conjug.* scribit, & legitur in Francia de Johanna puella, quæ tempore Caroli VII. Francorum Regis, purgavit Franciam Anglis, & communiter dicitur de quadam vetula Carcasta, quæ sola defendit civitatem Carcastone, & inde civitas illa Carcastona è prædicta vetula nomen assumpsit. Quod si quæ tali animo, audaciaq; mulier virum mollem adeat, lædat, occidat; ad hoc facit præsens articulus. Mulieres nonnullas in viros evasisse testatur, *Marcell. Donat. lib. 6. de medic. histor. mirab. p. 602.*

ARTICULUS CXLV.

Si defendens se tertium occiderit.

Si quis in justa & legitima ipsa defensione præter voluntatem suam alium quempiam punctim, cæsumq; sive lapidis, sive reli jactu occiderit, à pœna excusandus, scilicet L. Cornel. de sicar. non L. Aquiliæ, l. scientiam, 45. §. qui cum alter, 4. ff. ad L. Aquil. Gobl. Steph. hîc. Quod etiam obtinet, licet tertius ille mediator se præbuerit, maximè si aliter se defendere, aut mortis periculum evadere non potuit, *Zieritz. hîc, verb. à pœnâ excusandus.* E contra si quis Antonium interficere vellet, lapsus in persona, Martinum occidit, quem Antonium putabat, tenetur pœna legis Corneliæ de sicariis, *Thom. decis. 38. num. 6. & seqq. Matth. Berlich. part. 4. concl. 10. num. 4. & 10. cum seqq. Hier. Treutler. 2. disp. select. 32. sb. 6. & ibidem acutissimus Ictus Dn. Reinh. Bachov. Echt. a.* Quia dolus in genere, itemq; animus occidendi adfuit. Memini ego, quendam nobilem, qui commiserat hujusmodi homicidium, à Juridica Facultate Academiae Lipsensis ordinaria L. Corneliæ pœna condemnatum, licet tres Facultates Juridicæ planè contrarium consulerant. Vide de hac materia *Eberh. Speckh. cent. 3. class. 2. q. 2. & dissentientes allegat Phil. Hæn. quest. cont. disp. 24. concl. 4. a.* Sed quid? si quis volens occidere hominem, inimicum suum, & in eum ictum direxit, sed forte fortuito ab eo aberravit, & non alium hominem, sed equum, vel aliud animal occidit, quomodo puniatur? Pœna ordinaria plectendus videtur, sed contrarium decidit *Berlich. d. concl. 10. n. 17. 18.* qui mihi placet. An, qui mandat tantum vulnerari, secuto homicidio, teneatur etiam de occiso? Vide *Herm. Goëhaus. peric. 6. q. 37.*

ARTICULUS CXLVI.

De homicidio casu, nec occidendi animo facto, extra moderatam tutelam.

Disponit